DE HYDROCEPHALO ACUTO SANANDO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALBERTINA LITERARUM UNIVERSITATE

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

ET DIE IV. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXI

H. XI. L. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

SIGISM. BLUMENTHAL,

RAGNITENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. HARWARDT, MED. ET CHIR. CAND.

E. LUCKS, MED. ET CHIR. CAND.

REGIMONTI PR.

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO BENEVOLENTISSIMO

PROF. DR. MOELLER

DIRECTORI POLICLINICI MEDICI, CONSILII MEDICINALIS REGII
COLLEGAE

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Ex quo tempore vera Hydrocephali acuti natura tanquam meningitis tuberculosa cognita est hujusque morbi symptomata accuratius definita sunt, jam minus observatum est, hunc morbum sanatum esse, id quod antea saepissime usu venisse creditum et literis proditum est. Etiamsi de veritate singularum observationum disputare non libet, tamen plurimae falsa diagnosi nituntur et pertinent ad morbos utique a meningitide tuberculosa diversos. Difficultas diagnoseos, ad quam postea revertar, hos errores facile declarat. Omnes illas falsas observationes transiens ad eas accedam, quae, quum pro symptomatis de vera natura Hydrocaphali acuti dubitare non liceat, tamen ad bonum eventum duxerunt. Maximam partem promam ex libro: Mém. de Rilliet *) atque liceat brevi eas enumerare, tum duos afferre casus in policlinico nostro, quod duce ill. Moeller floret, observatos, de quibus accuratius judicabo.

Primum nonnullas observationes Cheynii referam.

Historia morbi I.

Puella quattuor annos nata, cujus tres sorores hydrocephalo acuto mortuae erant, per decem dies lassitudine et somnolentia, antecedentibus, vomitu et aucta somnolentia afficitur.

Nocte cephalagia accedit. Altero die vomitus repetitur. Infans permultum gemit. Eadem symptomata tertio die

---

*) De la guérison de la méningite tuberculeuse. Archives genérales de médecine Decembre 1853.

adsunt; praeterea frequens variatio faciei coloris; pulsus sexaginta ictuum, irregularis. Infans ex somno excitata statim somno capitur, paene perpetuus gemitus auditur. Sequentibus tribus diebus, omnia haec hydrargyro chlorato miti dato symptomata discedunt, sanatio oritur. Hoc casu hereditas, vetustas, sexus femininus, repetitus vomitus, variatio coloris faciei, gemitus, pulsus irregularis et lentus testantur Hydrocephalum acutum adesse. Multo etiam probabilior mihi videtur:

Historia morbi II.

Puella octo annos nata, quae fratrem Hydrocephalo acuto perdiderat, cephalalgia corripitur, obstructione, vomitu; pulsus lentus et irregularis est. Dolores capitis augentur, infans est pessima et tristissima facie, perpetuo gemit. Convulsiones faciei accedunt, subito ex somno excitata queritur de pungentibus capitis doloribus. Die decimo quinto, hyd. chlor. miti adhibito et sanguinis depletionibus factis, sanata dimissa est. Paucis autem diebus post morbus rediit; aegrota vomebat, dolores capitis aderant, pulsus irregulares. Iisdem medicamentis adhibitis salivatio vehementissima existebat; quo factum est, ut puellae valetudo post unum mensem restitueretur. Ex plurimis a Goelis narratis casibus hoc loco referenda esse mihi videtur.

Historia morbi III.

Status infantis tres annos nati hunc in modum constituitur: Tristitia adest, sensibilitas, dolores capitis, nausea, obstructio, variationes faciei coloris, vertigo, tum lenti, tum accelarati pulsus irregulares, retractio abdominis. Hyd. chlor. miti et hirudinibus adhibitis, post octo dies sanatio accessit.

Abercrombie nonnullos casus edidit, in quibus et ipsis de Meningitide dubitare non licet:

Historia morbi IV.

Puella undecim annos nata, aegrotat vomitu et cephalalgia; accedunt pulsus lenti, dilatatio pupillarum, denique coma. In familia ejus complures casus ejus morbi de quo agimus, antea usu venerant. Sanguinis depletiones, purgantia, frigus efficiunt brevi tempore sanationem.

Historia morbi V.

Puella quindecim annos nata, per complures dies cephalalgia et photophobia laborat, interdum delirat; accedunt tum strabismus, diplopia, stupor, coma; alvus obstructa et vomitus durabant. Pulsus irregulares tum frequentissimi tum lentissimi. Subito misserrime clamitat aegrota, se jactat convulsionibusque movetur. Postquam haec symptomata quinquies sexiesve cesserant, iterum recesserunt, donec post complures hebdomades aegrota sanata est.

Ex casibus, quos Jahn attulit, unus tantum perspicue hydrocephalum acutum probat.

Historia morbi VI.

Infantis tres annos nati status hunc in modum constituitur: Caput valde calidum erat, pupillae dilatatae, oculi oscillabant, photophobia, dolores capitis, frequentes vomitus, obstructio, retractio abdominis, pulsus irregulares, convulsiones apparebant. Medicamentis frustra adhibitis, morbus procedit. Convulsiones augentur saepiusque repetuntur; postea etiam hemiplegia accedit. In capite vesicatorium applicatur, Hyd. chlor. mite et Jodum ordinantur. Infantis valetudo restituebatur, hemiplegia dextra autem per complures annos remanebat. Dr. Roeser hunc casum affert.

Historia morbi VII.

Puella septem annos nata laborat vomitu, capitis doloribus, obstructione. Vomitus repetitur per quinque dies

Hoc quinto die aegrota supina cubat, nec se movet, os apertum est. In somno gemit, subito clamat, frenditque dentibus, pupillae dilatatae, luce non afficiuntur, pulsus lenti, irregulares extremitates frigidae et quasi paralyticae. Hyd. chlor. miti et Jalappe frustra adhibitis, nulla defaecatio exsistit. Tum Jodum datur et nonnullis diebus intermissis, sanatio accedit.

A Doctore Hahn casus morbi, quem hoc loco tractamus, observatus est:

Historia morbi VIII.

Puer quinque annos natus, debili corpore, matre hectica susceptus, multis scrophulosis symptomatis una exstantibus quae ipsa in fratribus ac scroribus ejus apparuerant, pro dromis per tres hebdomades antecedentibus aegrotat vomitu, cephalalgia, obstructione. Pulsus lenti, intermittentes. Vehementes gemitus et dilatatio pupillarum existunt. Hoc statu morbus per octo dies persistit, tum aegrotus convalescit.

Octo annos natus in eundem morbum incidit, symptomata eadem sunt, quae antea, sed exitus erat letalis quarta hebdomade.

Ante omnes cognitu dignissimi videntur mihi tres a Rilliet ipso observati et literis narrati casus, soli, ut ipse dicit, e casibus septuaginta intra decem annos Genevae observatis, qui ad sanationem progressi sunt.

Historia morbi IX.

Puella decem annos nata ex scrophulosa familia et ipsa habitu scrophuloso est. Una sororum quindecim annos nata Meningitide tuberculosa mortua est; ipsa laborat frequentibus ophthalmiis, quae corneae obscurationes effecerant.

Morbo ipsi antecesserunt prodromi trium hebdomadum; mater vidit, puellam facile irritari pallescere et macescere pessimeque dormire; appetitum ciborum minui, sellam non

petere. Saepius quaeritur de doloribus capitis, attamen lecto nondum affixa est. Ita circa tribus hebdomadibus intermissis 28. Januario 1846 cephalalgia aucta aegrota saepius vomit. Vesperi primum medicus vocatur: Pulsus 88, regulares; sensorium liberum est somnolentia exstat. Hydr. chlor. miti adhibito nocte complures defaecationes accedunt.

Altero die vomitus repetitur, cephalalgia minuitur. Eadem therapia est, idemque effectus. Tertio die puella est tristis, pulsus irregulares 70, respiratio 12, pupillae dilatatae, mediocriter contrahi possunt abdomen planum; aegrota est irritabilis et invita respondet interrogationibus; multum gemit. Therapia: Calomel tres sellas efficit.

Quarto die: patiens pallidissima, supina cubat, somnolentia meningitidi tuberculosae propria affecta est. Interrogata exclamat, queritur, agitatur in faciem, volvitur neque respondere vult. Paullo post queritur, magnis capitis doloribus se captam esse, oculos clausos tenet et magna photophobia affectam se esse, demonstrat. Pulsus irregulares, 108 ad 120. Respiratio aucta est ad 24. Abdomen retractum. Hyd. chlor. mite vesperi datum nullas defaecationes efficit, nox erat possima, nam aegrota agitatur et convulsionibus oculorum affecta est.

Quinto die idem status, qui pridie; sed hyd. illud efficit tres copiosas defaecationes; ultimam sequitur vomitus et syncope.

Sexto die aegrota melius se habet, quam pridie; photophobia et irritabilitas minor est, abdomen minus planum, pupillae valde contrahuntur. Pulsus ad 112, regulares. — Spiritus incipit mercurialis fieri, sed salivatio non adest; jam vero vesperi incipit. Multum queritur aegrota de dentium doloribus.

Die septimo aegrota permultum gemit; pulsus regulares, 108, gingiva tumet, in lingua parvae ulcerationes apparent, salivatio etiam aucta est. Hyd. chlor. mite intermittitur. Die octavo. Hydrargyro illo intermisso sella non jam petitur; sed salivatio persistit. Ulcerationes mercuriales

crescunt. Sequentibus diebus eadem salivatio persistit, sed symptomata cerebralia evanuerunt. Pulsus 88, regulares.

Die sexto mensis Februarii salivatio diminuta est, sed nullae defaecationes nisi clysmatis datis, adsunt.

Die decimo mensis Februarii salivatio non jam adest, et aegrota reconvalescit. Nonnullis mensibus post subito tumore albo laevi genus affecta, levem ancylosim articulationis retinet. Ex eo tempore bona valetudine usa est. Mense Julio 1849 iterum macescere incipit et tristis esse. Hic status per complures menses persistit. Mense Octobri diarrhoea et obstructio se sequuntur, appetitus valde diminutus est; saepius per totum tempus de cephalalgia queritur.

Die duodecimo mensis decembris propter indigestionem vomit.

Die decimo septimo frequentes aquosi et biliosi vomitus accedunt. Aegrota queritur de cephalalgia gravi quidem, sed supra oculum dextrum fixa. Non gemit, sed tristissima est.

Die vicesimo obstructio adest, quae, hydrargyro adhibito recessit.

Die vicesimo secundo. Pulsus, ab initio frequentissimi, minuntur ad centum ictus; sed regulares sunt. Sensorium prorsus liberum est, nulla somnolentia exstat Dolores capitis aegrota supra oculum dextrum accurate se sentire indicat. Abdomen planum, lingua pura. Hydrargyrum adhibitum sellas efficit.

Die vicesimo quarto aegrota satis bono statu, gaudet appetitus ciborum redit. Pulsus 85; sequentibus diebus alia symptomata celeriter evanuerunt. Primi morbi, quo infans affecta erat, symptomata, hereditas, constitutio, pridromi satis testantur rectam diagnosin. Sanationem mercurialisationi Calomelane effectae addicere liceat, praesertim quum, ut supra dictum est, cum illa conjuncta esset.

Accuratius comparans symptomata primi morbi cum secundi post tres annos renati nemo dubitare poterit, quin in hoc minime de meningitide, sed de gastricismo agatur,

quamvis symptomata consentire videantur et verisimile sit, hunc infantem iterum meningitide affectum esse; tamen uterque morbus satis differt. Non solum puella libero sensorio sed vigore etiam est; praecipue somnolentia aberat; dolores capitis, ut Rilliet dicit, minime hydrocephalici erant.

Historia morbi X.

Puer novem annos natus, aeque ac fratres scrophulosus, infantium morbis non affectus, sed semper ad diarrhoeam propensus, per totam hiemen ante inceptum morbum diarrhoea maxima laboraverat. Morbo prodromi duorum mensium antecesserant. Macescit, queritur permultum de capite, tristis erat, nausea et abdominis doloribus laborat. Die, quo morbus incepit, afflictus tempestate tum humida et frigida domum rediit, continua frontali cephalalgia querens cubitum ire coactus est. Magno calore cruciatus timuit clamorem et lucem.

Altero die sella diarrhoica exstat, copiosus vomitus.

Quarto die medicus arcessitus, Cephalalgiam atque photophobiam, linguam humidam, alvum non inflatam, pulsus 96 adesse perspicit; una sella normalis adfuerat. Emeticum ordinatur.

Ex die quinto ad octavum cephalalgia, timor clamoris lucisque persistunt; accedunt variationes faciei caloris, somnolentia, pedum dolores, frequentes pulsus 96 ad 108 veriantes. Sensorium prorsus intactum; emetico adhibito vomitus non jam exstiterat, sed hydrargyrum, ex tribus diebus datum unam duasve sellas effecerat.

Die nono aegrotus valde pallidus oculis clausis cubat magnam photophobiam indicat, ut, omnino luce carere cogatur. Incitatus ut se erigat, iratus frontem contrahit atque dolorem et tristitiam facie exprimit; valde somnolentus est; recte quidem respondet, sed ipse sibi vix commissus, oculis clausis somnum repetit. Calor tantum parvus, pulsus 84, celeritate regulares, vigore irregulares, ut singuli pulsus propter minimam altitudinem vix animadverti

possint. Lingua humida, epithelio privata, abdomen paululum auctum sine doloribus, apetitus parvus. Nulla sitis, urina sedimentosa, respiratio libera paulo minor latere laevo anteriore obtusa quam aliis locis.

Nulla symptomata typosidea vel exanthematica apparent. Sulfuris hepar ordinatur.

Die decimo facies melior est, sed frequentiores variationes faciei coloris adsunt; cephalalgia minor quidem quam pridie; tamen perpetua. Pedum dolores absunt; somnolentia minima est; laeva pupilla paululo magis dilatata quam dextra, pulsus rursus accelerati, 108, regulares; nullae defaecationes exstiterunt. Sulfuris hepar retinetur.

Die undecimo linctus bis vomitus, nec vero ullas defaecationes effecit Cephalalgia et somnolentia auctae sunt; pulsus celeritate et fortitudine valde irregulares, ab 76 ad 84 variant.

Die duodecimo obstructio et praecipue irregulares pulsus persistunt, variant ab 84 ad 92; pulsus tum fortes tum minimi; respiratio lenta; oculi languidi sunt; facie tristitia et dolores exprimuntur cephalalgia continuo manet pupillae inaequaliter dilatatae. Ol. Ricini dosibus duabus fortioribus ordinatur; quo facto complures defaecationes, angorem et colicas efficientes accedunt.

Die tertio decimo facies multo melior est, pulsus magis regulares 84, cephalalgia abest. Linctus hepatis sulfuris retinetur.

Ex die quarto decimo in meliorem statum aegrotus restituitur. Valetudo pueri fit melior, cephalalgia tum abest tum adest donec die septimo decimo prorsus evanuit. Item somnolentia, pupillarum dilatatio, timor clamoris lucisque paullatim discedunt, Pro statu pulsus per longum tempus irregulares sunt et minores in dies fiunt, ut die vicesimo secundo 68 numerentur. Postea augentur et regulares manent. Sellae sunt diu rarissimae; necesse erat, interdum Ol. Ricini reiterari; die vicesimo quinto demum defaecatio normalis est. Appetitus mox adest et jam die undevicesimo puer e lecto surgit. Ol. Jec. Aulli per lon-

gius tempus ordinatur. Etiam hoc casu propter diathesin scrophulosam, prodromos, macie, cephalalgia, tristitia probatos denique symptomata morbique progresssum dubitari non potest, quin puer re vera Hydrocephalo acuto affectus fuerit. —

Historia morbi XI.

Puer quinque annos et sex menses natus; corpore debili et scraphuloso habitu. capitis ad hoc tempus nisi impetigine non laboraverat, ante morbum inceptum ipsum fame mira erat multumque de dentium doloribus queritur.

Die vicesimo septimo mensis Februarii 1844 puer e schola venit, querens de cephalalgia et abdominis doloribus; vomit sua sponte.

Die vicesimo octavo medicus arcessitur. Aegrotus de cephalalgia atque exigua cervicis rigore queritur. Pulsus tantum 60, sed regulares; sellae absunt. Emeticum adhibitum, complures vomitus efficit.

Die tertio ab initio morbi hydr. chlor. mite datur, quod complures defaecationes efficit. Cervicis rigor auctus est. Nocte agitationes; gemitus, dentium frendor. Eadem symptomata apparent die quarto. Die quinto aegrotus valde pressus videtur, pallidissima facie est et queritur de frontali cephalalgia gravi. Sensorium intactum, interrogatus accurate respondet; supinus cubat. Collum et dorsum rigida neque vero dolorosa sunt, abdomen paululum inflatum, lingua humida, pallida, calor parvus; pulsus celeritate irregulares, variant ab 92 ad 104. Caeterum nulla symptomata typhoidea exstant nulla exanthemata.

Die sexto et septimo symptomata spinalia augentur, accedit etiam opisthotonus; caput minime ad latus moveri potest; sed processus spinosi pressi dolorosi non sunt; Trismus abest; femur laevum rigidum supra pelvim flexum est; si extenditur aegrotus exclamat. Tamen nec rubor nec tumor articulationum exstant, nec nervi crurales lum-

balesve pressi dolorosi sunt. Abdomen valde retractum et durum. Sensorium intactum, nulla alia symptomata cerebralia; febris aucta, pulsus ab 120 ad 128. Nullus appetitus, nulla sitis; una duaeve sellae colomelanosae eo die conspiciuntur. Quattuor hirudines processui mastoideo applicantur.

Die octavo status paululo melior est. Aegrotus erigi potest, sed femora flexa et valde dolorosa sunt, simulatque extenduntur. Nulla defaecatio exsistit cephalalgia durat. Mane semel vomit.

Therapia: Calomel, femora acribus inguentis infricantur.

Die nono aegrotus jam nullo adjuvante exigere se potest et caput ad latus movere, itemque extremitates. Abdomen non jam retractum; sella liquida adest; multo meliore facie et appetitu est; pulsus 116, regulares. Hydrargyrum efficit exiguam salivationem. Tali modo usque ad diem undevicesimum in statum meliorem restituitur, quin etiam vires recuperat et febris minuitur. Tum subito extremitatum dolores, corporis rigor, cephalalgia, gemitus, abdomen retractum accedunt. Vires sunt depressae atque aegrotus manifesto macescit. Pulsus ab 100 ad 120, regulares.

Die sequenti i. e. vicesimo ab initio morbi primum pulsus irregulares, tum celerrimi, tum lentissimi, variant inter 88 et 92; vesperi etiam multo lentiores sunt. Abdomen multo magis retractum, obstructio maxima, perpetua cephalalgia, sensorium intactum quidem, sed magna somnolentia; rigor auctus, nulla jam pars corporis sine doloribus moveri potest. Tali modo status per dies complures persistit acceduntque irregularis respiratio, variationes faciei coloris, ingentes cephalalgiae impetus, quibus aegrotus exclamare coactus est; tum gemitus, dentium frendor, pupillarum dilatationes; retractum abdomen et obsructio permanent. Calomel denuo datur, tum Dec. Chinii, balnea ordinantur. —

Die quadragesimo primo in statum etiam pejorem aegrotus incidit. Faciei color est cyanoticus, facies ipsa cerebralis collapsa est.

Diebus sequentibus pulsus multo minores fiunt inter 100 ad 120 manent, respiratio lentissima est. Infirmitas est extrema etiam, sensorium paullatim turbatur. Interrogatus silet, tum agitatur, exclamat, lacrimat. Interdum delirat, atque in his deliriis perpetuo clamat cantatque. Etiam magis nocte agitatur, paene perpetuo fortiter exclamat. Pupillae sunt dilatatae et paululum contrahi possunt, interdum strabismus accedit; denique sellae exiguae etiam involuntariae fiunt.

Die quadragesimo octavo morbus gravissimus factus erat, ut nonnullae tantum horae vivendi superesse viderentur; facies cerebralis, colore cyanotico, oculi clausi, facies semper immobilis animadvertitur. Tum interdum frontis labiique convulsiones, quae in Meningitide tuberculosa saepius videntur accedunt. Interdum supercilia paululum tollit, bulbique convulsionibus supra inclinati conspici possunt. Item ante breve tempus convulsiones, conjunctae cum rigiditate artuum, sed sine spuma ante os, exstiterant. Pulsus minimi, 160; respiratio lenta, irregularis; magnopere gemit, respiratio interdum deficit. Per octo dies aegrotus balneis et Dec. Chinii perpetuo usus erat. Sed a die quadragesimo nono aegrotus in meliorem statum restituitur. Facies rursus vegeta fit; nec nisi depressio exprimitur. Agitationes quidem et coma inter se sequuntur usque ad vesperum, sed nox erat bona et sequenti die jam rectis verbis aegrotus utitur, recteque rogatus respondet. Cephalalgia antea remota denuo surgit. Cervix multo minus rigida erat, caput ad latus moveri potuit. Jam nulli gemitus. Pupillae dilatatae quidem erant, sed valde contrahi poterant, respiratio quieta, pulsus regulares, 120. Ex hoc tempore status bonus et malus frequentes variant. Puer sensorio interdum fere intacto erat, attamen frequentes hallucinationes ortae sunt ad tempus, cephalalgia et cervix rigida aut minuebantur aut augeban-

tur, item vires ac macies; pulsusque frequenter variabant, donec die nonagesimo ab initio morbi puer sanatus dimissus est. Medicamentorum nihil nisi Ol. Jec. Aselli et vinum adhibitum est. Puer rus missus per complures menses, ibi remansit, bona valetudine rediit, ut in scholam mitti posset. Ibi ludens ex magna altitudine in caput cecidit, atque sine conscientia domum portatus est.

Pupillis magnopere dilatatis et insensibilibus, pulsu lento, vomitibus frequentissimis, urina sanguinolenta in coma cubuit. In capite erant duo vulnera, haemorrhagia dextrae auris, quare ne fractura partis petrosae ossis temporis esset, timebatur. Duobus temporibus duae hirudines applicantur et reiterantur; item sinapismi; sequenti etiam die sensu carebat; rogatus nihil respondit, nihil percepit. Exclamavit, si sinapismi applicantur, agitatur, quare sensibilitas ad extremum venisse videbatur. Oculos perpetuo clausos habet, simulac vero supercilia tollit, ingens strabismus conspicitur, ut cornea omnino non videri posset, oculus dexter intra et supra, oculus laevus extra et supra inclinatur *), animadverteretur.

Maximus cutis calor, pulsus regulares, 128, respiratio quieta. Vesperi tart. stib. datur.

Die sequenti multo quietior aegrotus est, sed tactus exclamat. Strabismus non jam adest, pupillae tum contractae tum dilatatae. Conscientia abest.

Tart. stib. initio reiteratur, tum Kerme usi sunt, quod inguentes effecerat errnptiones pustulosas mucosae oris.

Sequentibus diebus status paullatim melior fit; conscientia redit, febris decedit; item sensibilitas permagna et paullo post puer iterum sanatus dimittebatur. Per quinque annnos et dimidium puer bona valetudine utebatur; ingenii vires bene confirmantur, ut patris munera obire posset; sensus omnes intacti, item motus; appetitus bonus atque vires; nec macescit. —

---

*) Mém. de Rilliet.

Subito et sine prodromis de capite queritur, vomit. Idem status per quattuor dies; obstructio accedit. —

Die nono mensis Januarii 1850 perpetuo exclamat, difficulter loqui potest, continuo gemit, nocteque conscientiam perdit.

Magnopere macescit, oculi clausi sunt, pupillae dilatatae minime contrahi possunt, conscientia, ut supra jam dixi, omnino deficit, rogatus nihil respondet. Excitatus corpus movet, quasi se erigere velit. Extremitates inferiores paululum contractae sunt, abdomen valde retractum, lingua epithelio tecta, flava, respiratio irregularis 24 — 42, pulsus 120, regulares. Diebus sequentibus pulsus frequentiores fiunt, ascendunt ad 160; item respiratio ad 60—68. Convulsiones non adsunt, sed aegrotus cubat sine motibus, oculis clausis, interdum laevum supercilium tollit; dextrum supercilium paralyticum est. Obstructio est maxima; cutis calida et humida. Denique faciei color cyanoticus fit, respiratio accelerata, coma accedit.

Die duodecimo mensis Januarii post meridiem moritur. Autopsiae singula transibo et tantum referam, antiquiores tuberculisationes, primo morbo correspondentes, reliquiasque inflammationis, quae adfuerat, in cerebri basi et in laevi media parte inventas esse.

II. ultimo morbo correspondentes recentes inflammationes cum frequentibus tuberculisationibus praecipue laeva parte media et externa sed etiam multis aliis locis et hujus et dextrae partis dispersas esse, denique in cerebri basi recentes et conterendas tuberculisationes resistentibus, antiquioribus impositas fuisse. Caeterum cerebri resistentia normalis, item medulla oblongata et spinalis.

III. Fissura et insanata ossis assulae in dextra Fossa temporali inventa sunt; huic loco correspondentia residua inflammationis in meningibus, sed sine tuberculisationibus. Haec igitur lapsum post primum morbum secuta esse videntur.

Autopsia igitur, de Men. tuberculosi agi, prorsus confirmavit, sed etiam morbi symptomata: ut voluntarii vomitus, pulsus irregulares et lenti, respiratio irregularis, Cephalalgia, frendor dentium, pupillarum dilatatio, perpetua obstructio, abdomen retractum, denique facies cerebralis et pulsus parvi et celeres sine dubio veritatem testantur.

Praecipue vero ex autopsia sequitur, Hydrocephali acuti symptomata prorsus recedere, et morbum boni eventus esse posse, neque tamen pathologicas mutationes, quae ipsae morbum efficiant, decedere; quam rem autopsia ipsa anatomice demonstravit. Jam vero ad duos casus transeam quos dixi, observatos in policlinico medico, quod sub ill. Moeller floret, describendos, ut probem utrum de Hydrocephalo acuto necne agatur.

Historia morbi XII.

Bertha Wolff, undecim annos nata, puella valde debilis, anaemica habitu perspicue scrophuloso, Una sororum phthisi florida mortua erat.

Die decimo sexto mensis Octobris 1860 aegrotabat frigore, sequenti calore, infirmaque valetudine. Quum in meliorem statum non restitueretur, sequenti die domi manere coacta erat, sed jam die undevicesimo scholam rursus frequentavit, ex qua infirma rediit, ut cubitum ire cogeretur. Nocte agitabatur, paene nullum somnum capere potuit, febris erat ingens, sed crastino die lectum iterum relinquere potuit. Nocte erat febris ingens, et nausea accessit. Die vicesimo primo mensis Novembris aegrotae primum vitae status in hunc modum constituitur: Febris ingens cutis calida, dolores capitis, nausea; semel vomitus adfuerat. Diagnosis suspendebatur, sed intermittens subesse putabatur quamvis ad hoc tempus nullae intermissiones constitui possent. Ex symptomatis igitur Saturatio adhibita est. Aegrota nocte somnum capere non potuit, permultum delirabat, febris ingens per totum diem persistebat. Nausea paululum tantum recessit, vomitus absunt.

Tussiens in regione lumbali doloribus affecta est, item, si regio renalis premitur. Urina exigua, sanguinolenta, defaecatio aberat, appetitus deerat, lingua epithelio tecta. Capitis dolores augebantur. Diagnosis Nephritidis igitur constituta est, sequentis scarlatinam tum epidemicam, quae non eruperat aut neglecta erat, quum alia aetiologia deficeret et in eadem familia ante breve tempus Scarlatina adfuisset. Tres hirudines utroque latere regioni lumbali applicantur et Ac. nitricum ordinatur. Sequenti die dolores in regione lumbali paululo tantum minores erant, nocte insomnia et febris continua accesserant; febris non minor, facta erat, sed auctior, item urina multo magis exigua et sanguinolenta quam pridie erat; nullus appetitus. Defaecatio semel adfuerat. Iterum sex hirudines et Inf. Digital. cum Nitro ordinantur. Medicamenta non sine effectu erant, patiens enim dormiverat, febris erat minor, dolores regionis lumbalis paene cesserant; urina copiosior, minus sanguinolenta, capitis dolores persistebant; tussis initio levis fortior sputaque sanguinolenta erant. Percussione latus posterius inferius costae decimae et undecimae circumscripte obtusum invenitur, praeterea latere laevo et posteriore et anteriore rhonchi consonantes audiebantur. Dubitari igitur non potuit, quin permagna pulmonum hyperaemia ad Nephritidem persistentem quamvis mediocrem accessisset. Sanguinis depletio, quum propter aegrotae imbecillitatem periculosa esse videretur, idem, quod diebus antecedentibus, ordinabatur, praesertim quum digitalem aegrota bene tolerasset. Die sequenti patientis status non melior, sed urina copiosior et paene sine sanguine, sed albumine completa erat. Physica siqua, in thorace inventa, mutata non erant, febris rursus vehementior, aegrota magis collapsa esse videbatur queriturque de doloribus in regione hepatis. Hepar autem ipsum palpanti majus, prementi dolorosum percutientique et longitudine et latitudine extensum apparuit. Pulmonibus adhuc infiltratis, recens hepatis hyperaemia accesserat; itaque ordinabantur:

Die vicesimo quinto mensis Novembris Hydrarg. chlor. mit. gr. j binis horis; sex hirudines et cataplasmata in hepatis regione. Nocte aegrota satis bene dormivit, febris minus vehemens, hepatis regionis dolores discesserant, hepar ipsum perspicue minus erat. Sputa non jam sanguinolenta erant, thoracis pars posterior et inferior obtusa quidem, sed rhonchi minus, quam antea extensi erant, dispnoea aberat, urina copiosa, sine sanguine, exiguam copiam albuminis continebat, nec nisi appetitus deerat. Dubium igitur esse non videbatur, quin aegrota statum in meliorem venisset, et die vicesimo octavo mensis Novembris ad appetitum incitandum nihil nisi amarum adhibetur. Quo facto appetitus etiam auctus est. Puella e lecto jam surrectura videbatur, quum frigore ingenti, quod calor et sudor consecuti sunt, die primo mensis Decembris affecta est; quae iterabantur die tertio quamvis die intermisso aegrotae status bonus esset. Intermittens tertiana quum subesse crederetur, in apyrexia Chinium ordinabatur; quo facto recens exacerbatio non modo non impedita est, sed etiam febris vehementissima, continua accessit. Die quinto mensis Decembris regio renalis dolorosa rursus erat, urina minima, gravis, sanguinolenta et cylindri inventi sunt. Pulsus accelerati et minimi cutis calor magnus, nullus appetitus, praeterea maxima cordis palpitatio et angor tussi maxima auctus aderant. Cor examinanti latitudine magnopere auctum apparuit, cordis ictus permagnus et late diffundebatur. In basi cordis in systole clamor inflans audiebatur, et secundus sonus pulmonalis auctus erat. Quibus rebus dubium non erat, quin nephritis recidisset et simul endocarditis adesset. Quamvis patiens anaemica esset, tamen rebus urgentibus depletio sanguinis et quattuor quidem hirudinibus in cordis regione, tum Digitalis cum Nitro adhibita sunt. Sequenti die status re ipsa melior non erat, sed dyspnoea permagna deerat, atque urina, quamvis minima, paulo copiosior et minus sanguinolenta erat. Digitalis cum Nitro reiteratur. Die septimo mensis Decembris urina copiosa paene nullum sanguinem continet; sed phy-

sica, in corde conspicua, pulsusque accelerati quum persisterent, atque aegrota medicamenta bene toleraret, digitalis iterum praeterea vesicatorium in cordis regione, denique nocte ad tussim torquentem leniendam morphium ordinatur. Quo facto nox bona et dispnoea minor erat, sed tussis quum magnopere torqueret, Digitalis cum Senega conjuncta est. Quibus medicamentis aegrota statum in meliorem restitui videbatur, quae in corde animadversa erant, discesserant, cor enim non jam tantopere dilatatum, cordis ictus minus fortis, tum flans sonitus systolicus in cordis basi minor, quam antea erat; pulsus valde descenderant. Quare Digitalis non jam adhibenda esse videbatur, et die decimo mensis decembris Senega cum Liq. ammon. anis. ordinabatur. Vesicatorium unguento acri apertum retinetur. Paullatim tussis discessit, noctes quietae erant, et quum jam nihil timendum esset, Tonica et die duodecimo Chinium adhibita sunt. Quo facto aegrota statum in meliorem restituebatur, quaecunque agebantur, videbat, somnum bonum cepit, sellae normales erant, flans cordis sonitus discessit, cor ipsum non majus quam esse solet, erat, tussis paene deerat, sed thoracis pars inferior ac laeva obtusa persistebat. Nihil, nisi de capitis doloribus patiens quaesta est, qui per totum morbum nunquam discesserant. Ex morbi gravitate, quae fuerat, status praesens re vera satis bonus erat, potuitque sperari fore, ut puella paulo post sanata dimitteretur.

Sed die undevicesimo mensis decembris cervicis musculi latere laevo subito contracti sunt. Caput ad partem posteriorem et aegrotam inclinatum est, neque ad anteriorem verti potest; si tentatur, id maxime dolorosum est. Vomitus frequentes, tum si aegrota non edit, tum si movetur, etiam spontanei et semper faciles erant et sine labore fusi sunt. Nocte patiens exclamavit, item die, ex somnolentia deliciis turbata e somno excitata est, tum pupillae dilatatae et immobiles, cutis calor magnus pulsusque filiformes, minimi, lentissimi 62, respiratio irregularis, patiens ipsa valde collapsa fere sensu carebat. Ex his symptomatis tam

subito accedentibus de Hydrocephalo acuto agi, videbatur et quum sanatio hujus morbi desperetur, propter collapsum Inf. flor. Arnicae adhibitum est. Idem status die sequenti persistebat et praeterea, dum alia symptomata adsunt, pulsuum arythmia accesserat. Patiens prorsus sine conscientia coma correpta erat, defaecatio involuntaria erat. Urina non emissa est, ut die vicesimo tertio mensis Decembris aegrotae de salute, ut ita dicam, desperaretur, et Syrupus Alth. tantum daretur, sed meridie diei vicesimi quarti status multo melior erat, conscientia enim redierat, vomitus deerant, cervicis musculi non jam contracti erant; patiens, quae agebantur videbat, etiam in lecto culcita subjecta erigere se potuit. Quibus subito in melius mutatis rebus Nephritis multo magis probari videbatur, quod in Meningitide ipsa ipsa tuberculosa esse solet, ut status aegroti per tempus in melius mutatus pessimus fiat.

Nocte diei vicesimi quarti ad diem vicesimum quintum mensis Decembris aegrota somnum cepit, urina voluntate rursus emittebatur, sed multo sanguine completa, paene spissa; tertium igitur in progressu morbi renum haemorrhagia accesserat, itaque Ac. nitr. ordinabatur.

Die vicesimo sexto mensis Decembris patiens sine sensu est; cervicis musculi contracti, caput ad posterius in culcitas flexum est. Vomitus repetuntur iique sua sponte, aut simulatque aegrota se erigit, faciles, sine labore, denique idem status, qui die undevicesimo mensis Decembris esse coeperat. Urina excepta, iterum enim involuntaria est, die vicesimo septimo mensis Decembris paene sine sanguine est et satis copiosa. Patiens valde debilis magnopere macescit, conscientia deficit, ut nec parentes nec fratres aut sorores cognoscat. Ac. nitr. reiteratur. Hic status, ita interdum mutatus, ut aliquid conscientiae adesset, usque ad diem octavum mens. Jan. persistebat, nihilque nisi exspectabatur.

Die nono mensis Januarii omnis conscientia redit, vomitus discedunt, defaecatio, per totum tempus valde retardata, normalis est. Noctibus somnum aegrota cepit, appe-

titus adest et meliorem in statum puella macida et infirma restitui videbatur. Pariter cervicis musculi non tam contracti erant, nihilque nisi diaeta praescripta est. Cibi blandi non acres, nutrientes et quum appetitus melior esset, Ol. Jec. Aselli adhibita sunt. Aegrota lente in statum meliorem venit, tandem die decimo quinto mensis Februarii 1861; tredecim hebdomadibus ab initio morbi tam firma valetudine usa est ut e lecto surgere posset. Die secundo mensis Aprilis hujus anni in clinicum venit; pallida, macida et anaomica erat; tussiebat quidem nec vero acriter Thorax exploratus a superioribus temporibus a costa decima ad duodecimam obtusus, ubivis respiratio, quamvis levis vesicularis erat. Cor non majus, quam solet, nulli sonitus audiebantur. Aegrotae suadebatur, ut Ol. Jec. Aselli usa rus iret. Iterum sanatae status exploratus est die decimo septimo mensis Maji idemque inventum, quod antea. Status in universum, non erat mutatus; nam valde pallida, infirma, anaemica apparebat, tussis non deerat. Ol. Jec. Aselli utebaiur et bona tempestate per longius tempus ad pro pinquos rus ibit. Rursus in clinico videbatur mense Julio Vires recuperaverat, sed tussis et thoracis pars obtusa persistebant.

Primo in morbo quin Nephritis adfuerit, nemo dubitet, qui urinam inspexerit. Idem alia symptomata testantur. Febris ingens, renalis regio, si premitur dolorosa. Morbo procedente congestiones pulmonum et hepatis accesserunt, quorum illae ad pneumoniam ipsam augebantur; tussis enim, sputa sanguinolenta, thoracis pars obtusa, rhonchi consonantes haec probant. Jam antea vero tussis aderat, et puellae scrophulosae ex familia tuberculosa natae pulmones integros non fuisse, opinandum mihi videtur, praesertim quum thoracis pars obtusa et tussis, quamvis pneumonia defuerit, non tantum ad finem morbi, sed etiam per longius tempus persisterent, illa tam fortis et continua erat, ut in progressu morbi, ad tussim leniendam, Morphium adhibendum fuisset. Puellae valetudo jam ad melius inclinata iterum in deterius abiit, neque dubitandum est,

quin Nephiritis recidisset; neque dubium mihi videtur, quin cor eodocarditide nec vero sonitu affectum sit anaemico, in vasis enim nihil auditur, dolor magnus angores fortes erant; denique quae percepta erant antea paullo post evanuerant, quamvis anaemia, magis augeri quam minui videretur.

Tandem aegrota statum in meliorem restituta, ut nulla symptomata pathologica, nisi pars obtusa, quam dixi et capitis dolores, ab incipiente morbo nunquam deficientes restarent, subito symptomatis, de quibus hoc loco querendum est, afficitur. Iterum nephritis recidisse, vel potius status antiquus in deterius rursus mutatus adesse videatur diuresis enim minima, mox deficere coepit, et quum urina mitteretur, spissa valdc, sanguinolenta, postea demum melior ejusmodi fiebat, ut die vicesimo septimo mensis Decembris sanguine careret et satis copiosa esset. — Sed symptomata, hic observanda, graviora sunt et talia, quae nephritidem minime testentur; neque urina una cum statu aegrotae melior erat; vel potius tum melior tum pejor, quamvis urina eadem esset; quare non probari potest, symptomata nervis periphericis excitatis, sed cerebro ipso affecto exorta esse. Item uraemia, symptomatis, quae fuerant, probata, excludenda est, urinae enim analysi propter eam adhibita viginti quattuor horis octo grammata materiae urinalis secreta sunt, id quod eo magis votis satisfacit, quod puella per longum tempus nihil ederat. Symptomata autem si quis quaerit, scilicet cervicis musculis contractos, cervicis rigorem, dolores, si caput movetur, vomitus eosque spontaneos, quoties aegrota movetur, faciles, sine labore, nocturnos exclamationes, somnolentiam, deliriis intercedentibus, pupillas dilatatas pulsus parvos et lentos, collapsum, denique conscientiam deficientem, et omnia illa symptomata subito et sine causis orta, hydrocephalum acutum statuere, ut ita dicam, coactus est; idque progressus morbi vel magis probat, pulsus enim pridie parvi et lenti arythmici fiunt, omnis conscientia abest, coma accedit, sellae desunt. Tum

aegrotae valetudinem subito ad melius inclinatam, status deterior sequitur, tandem valetudo bona accedit.

Quae mutationes sine causis accedentes, tum status melior, tum multo deterior, denique exitus letatis et rarissime quidem bonus, id ipsum Meningitidis tuberculosae proprium est. Qua re meningitis libera rejicienda est, rapide enim et sine remissionibus procedit, donec ad extremum venit, tum brevi tempore aut ad exitum letalem aut bonum ducit. Item modus vomendi spontaneus: simulatque movebatur, sine labore, non minus testatur. Initium morbi, scilicet musculi contracti, cervicis rigor, dolores, si caput movetur, cum ultima observatione Rillieti, quam dixi, omnino consentiunt. Quo accedit, ut letali sororis morbo et malis aegrotae ipsus scrophulosis dyscrasia neganda non sit, qua re, quum meningitis sine dubio adfuerit, ea tanquam tuberculosa probanda sit, quae cerebri hyperaemia morbo febrili accedente, excitata esse poterit, in diathesi quae adest enim, ejusmodi causis morbum saepe oriri scimus, ut Hahn *) dicit: »Le médécin, qui a à traiter pour toute autre maladie un enfant prédisposé à la méningite tubesculeuse, aura de son côté des précautions particulières à prendre Il se gardéra par exemple d'employer des moyens narcotiques, telsque l'opium, la belladonne etc. J'ai vu, dans une famille où la tuberculisation est héréditaire, un enfant, affecté de coqueluche, succomber à une méningite tuberculeuse qui s'était developpé à la suite de quelques doses de belladonne. Le médecin ne doit pas non plus oublier que certaines maladies, de l'enfance deviennent souvent le point de départ de la méningite tuberculeuse Ainsi après les exanthèmes aigus et particulièrement après la rougeole et la scarlatine, il devra oieul attentif sur l'enfant predisposé.« Tertium quaerendum esse nobis videtur, qua causa communi morbi singulorum organorum alii alios consecuti, (renum, pulmonum, hepatis cordis, cerebri) conjuncti sint neque ulla alia nisi discrasia inveniri

*) Arch. générales de Médicinae. Août 1849. Recherches etc.

potest. Scarlatina, quam primum adesse opinati eramus, nec ab initio observata erat, nec ulla desquamatio aderat, denique scarlatina nec hepar, nec endocardium, nec meninges affecta esse solent. Nec uraemia aut hepatitis, aut endocarditis, aut pneumonia declarari possunt, praecipue vero, urinae analysi adhibita, neganda est. Nulla igitur, alia causa nisi tuberculosi hi morbi declarari possunt, quamvis negari non possit, eam rejiciendam esse; praecipue Nephritis et Hepatitis primariae tuberculosi difficulter declarari possunt, contra pneumonia chronica dum pars obtusa persistit, et meningitis optime eam probant, nec ignoramus, carditides ad pulmonum morbos tuberculoses saepissime accedere.

Jam ad ultimam, quam referam, observationem accedere libet.

Historia morbi XIII.

Emma Wenert, duo annos nata, natha puella arte nutrita, valde infirma et macida ophthalmiis, quibus corneae obscurationes relictae sunt, capitis exanthematis, glandularum tumoribus chyliferarum laborat; fons magnus magnitudine thaleri est, cerebrum fortiter pulsatur. Die duodecimo mensis Januarii 1860 febri, vomitibus, diarrhoea tussi sicca aegrotavit. Die decimo sexto mensis Januarii status hic est. Cutis calor magnus, pulsus 108, oris cavum calidum, salivatio aucta; ulcera parva in lingua epithelio tecta et in mucosa interiore. Nullus appetitus; diarrhoea et vomitus adsunt; propter magnam agitationem physice thorax explorari non poterat; dyspnoea aberat.

Diagnosis: catarrhus gastricus intestinalis, Stomat. aphthosa. Ordinatur: Kali chloricum. Die decimo septimo: Nox erat inquieta, saepius puella exclamabat; stomatitis non erat mutata, pulsus 112; diarrhoea abest, obstructio adest.

Die decimo octavo cervicis musculi contracti et dolorosi sunt. Quoties cunque caput movetur et praecipue si flectitur, aegrota exclamat; cubat in latus versa, maxime

femoribus in genu flexis et ad macidum abdomen tractis, sed eadem femora extendere posse dicitur, id quod vi fieri potest. Pulsus 120, rhytmici, cutis calor magnos; respiratio in somno observata accelerata, 40—44, rhythmica, facilis, sine alieno sonitu; vox clara. Tussis brevis a morbo incipiente adesse dicitur, sed valde levis, quod paene nihil auditur. Thorax exploratus nihil novi exhibet. Cordis sonitus puri, consonantes. Obstructio persistit, vomitus sua sponte accedunt, praecipue quum aegrota movetur. Caeterum defaecatio et diuresis non prohibitae sunt, splen et hepar non majora, quam esse solent.

Ordinatur: Inf. Senn. comp. dosi ℥ij, quo nihil efficitur. Die undevicesimo. Nox erat valde inquieta; aegrota ex somno subito excitatur; musculi pariter contracti, vomitus et obstructio persistunt; pulsus 120.

Ordinantur: Saturatio, Clysma, tres hirudines cervici applicandae. Die vicesimo: Aegrota et sua sponte et quotiescunque edit, vomit, sellae deficiunt; abdomen nec dolorosum neque inflatum; pulsus 112, regulares, respiratio 32; musculi contracti nihil hirudinibus applicatis mutati sunt. Puella continuo sensu non caret et tempore progrediente hilarior fit. Ophthalmoscopiam patitur sine clamore quum vero caput movetur, puella et agitatur et clamat.

Therapia: Clysma, Inf. Senn. (ʒj) ℥ij Cataplasmata cervicis regioni applicanda.

Die vicesimo uno; nox erat eadem, quae antea, Inf. Senn. tres defaecationes liquidae effectae erant, sed vomitus persistebant. Pulsus 98, respiratio 32. Mater quum referat ad vesperum puellam febri vehementiore affectam esse, faciem rubram, calidam esse, sudare, Chinium adhibetur et diebus sequentibus, quum nihil effectum sit, reiteratur.

Die vicesimo secundo mater animadvertit, puellam audire non posse regio auricularis non sensibilis est, otorrhoea deest. Splen, columnae vertebrali adjacens, costam decimam in latere anteriore attingit. Nocte puella rursus sudaverat.

Therapia: Chinium.

Die vicesimo tertio defaecatio sua sponte accedit, vomitus decedunt. Cervicis musculi contracti et dolorosi remanent.

Die vicesimo quarto musculi contracti, quum moventur, minus dolorosi sunt. Nec columna vertebralis nec musculi contracti, quum lente sed fortiter premuntur, dolorosi sunt. Caute quidem et lente, dum aegrotae animus avertitur, caput ad anterius moveri potest. Dum caput audacius movetur, agitatur et clamat puella, ut antea; et musculi magis contrahuntur.

Therapia: Chinium cum ferro.

Tali modo aegrota statum in meliorem paullatim restituta, die quarto mensis februarii status erat hic:

Ex aliquot diebus febris exacerbationes vespertinae desunt. Non jam puella agitatur, bonum somnum capit, non subito excitatus; quae aguntur in conclavi videt, luditque. Caput, jam multo, facilius moveri potest quam ante dies octo, in bibendo ad anterius vertitur. Defaecatio sua sponte adest; sed appetitus omnino deficit; lingua epithelio tecta; audire non potest.

Therapia: Ol. Jec. Aselli. Tum inquietae noctes nonnullae consequuntur; tandem etiam appetitus adest; et puella satis bono habitu est.

Die undecimo iterum status pessimus est: appetitus omnis abest; valde agitatur puella; caput ad posterius laevumque inclinatum est. Valde macida est, et collapsa. Nocte clamat. Tonicis continuo adhibitis atque convenienter vivendo aegrota paullatim in statum meliorem restituebatur, attamen surda et muta erat, quamquam puella antea verba singula ediderat.

Hoc casu quaerendum est, utrum Hydrocephalus acutus subsit an febris seu intermittens, seu remittens, an status gastricus, praesertim quum vespertinae exacerbationes ab iis, qui circa aegrotam fuerant, fuisse dicerentur; et quin catarrhus gastricus intestinalis atque Stomatititis aphthosa morbo incipiente adfuerint dubium non sit. Praeterquam quod hominibus rudibus et insciis fides non habenda est, Chinio etiam nihil effectum est, quo, ut ita dicam, de-

monstratum est, febri intermittenti aegrotam non affectam esse. Etiam symptomata his morbis aliena sunt. Vomitus spontanei quotiescunque puella movetur, sine labore et continuo persistentes diarrhoeam quae per aliquot tempus duraverat, consecuta obstructio, ne Inf. Sennae quidem cedens, abdomen nec dolorosum, nec inflatum est, ea symptomata minime febri intermittentem, remittentemve aut statum gastricum testantur; praeterea musculi contracti et quod perpetuo surda ac muta mansit illam opinionem refellunt; otitis interna subesse potest. Sed praeterquam quod otitis illa duobus lateribus simul exstare non solet, cervicis musculi contracti, continua obstructio et vomitus non otitidem sed tantum meningitidem accedentem testentur. Praeterea, illa symptomata Meningitidi basilari plerumque propria esse scimus, quae exsudato nervos acusticos premente surditatem fortasse declaret, sed nec vero organi acustici destructio statuatur. Quum vero Meningitis basilaris statuatur, sed difficulter declarari potest cur paralyses nervi facialis non simul exstiterint, et morbi loco et per longius tempus atque hoc tempore inconvienter vivendo tuberculosis probata videatur.

De Hydrocephalo acuto sanando quum hoc loco judicandum sit, res pessima ex eo jam intelligitur, quod quamvis symptomata probent, bonus eventus solus dubitationem adducit, ita ut accuratius judicetur. Re vera, quae referuntur ab auctoribus, pessima sunt, quamvis alii, falsis opinionibus ducti, meliora narrent. Ita Heim refert, 30 % omnium Hydrocephalicorum se sanasse, Goelis 41 %, Formey paene omnes, quos tractaverit, contra Frank dicit: »Etsi viri graves de hoc sibi suaviter blanditi sint, absque ulla in istos injuria, quae in nos ipsos non recideret, dubitare licebet« quin etiam Camper Hydrocephalum acutum »vitium immedicabile« nominat.

Dr. Hahn in Arch. générales Juin 1853 refert, in litteris centum casus Hydrocephali acuti sanati se invenisse simulque dicit, paucos modo eorum Hydrocephalum acutum testari. Whytt et Forthergill nullum exemplum boni even-

tus citant. Ille dicit: »J'avoue frouchement, que je n'ai jamais été assez heureux *) pour guérir un malade, chez le quel la maladie était confirmée et je soupçonne que ceux qui ont cru avoir plus de succès se sont trompés sur la nature du mal ou ont pris une autre maladie pour celle-ci.« West in pathologia morborum infantium dicit: Prognosis Hydrocephali acuti tum mala est; ut de bonis symptomatis minime disputari possit, quum liberi, quaecunque symptomata, et quaecunque medicamenta sunt, moriantur; denique Rilliet, eo loco, quo tres bonos, quos dixi, casus refert, dicit, eos, qui succerint in nosocomio l'hôpital des Enfants à Paris non feliciores fuisse in hoc morbo sanando quam se ipsum.

---

*) Traduction de M. Bricheteau.

VITA.

Natus sum Sigismundus Blumenthal, fidei veteri addictus, in oppidulo Borussiae Orientalis Ragnit, die IV m. Februarii anni MDCCCXXXVIII, patre Josepho, quem adhuc vivum veneror, matre Friderica, e gente Pollnow, quam mortuam semper lugebo. Primis literarum elementis imbutus in gymnasium Tilsense me contuli, quod sub auspiciis directoris Fabian adhuc floret, annosque undecim frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus tempori paschali anni MDCCCLVI academiam petivi Albertinam, ubi a professore illustrissimo Cruse, tum prorectore magnifico, in numerum civium almae matris Albertinae receptus, a consilii medicinalis regii collega beat. Rathke, tum facultatis medicae decano, in album medicorum inscriptus sum.

Docuerunt me per novem semestria: logicen ill. Taute; physicen experimentalem, physicen organorum sensuum, disciplinam magnetismi et galvanismi ill. Moser; chemiam experimentalem et inorganicam et organicam et analyticam ill. Werther; botanicen specialem beat. ill. Meyer; neurologiam, myologiam, osteologiam, angiologiam, artem cadaverum rite secandorum ill. Burdach; splanchnologiam, zoologiam, historiam animalium vertebratorum evolutionis, anatomiam comparatam beat. Rathke; histologiam, pathologiam generalem, physiologiam experimentalem ill. de Wittich; materiam medicam artemque formulas medicas rite concinnandi ill. Cruse; pathologiam et therapiam specialem ill. Moeller; artem percutiendi et auscultandi ill. Hirsch; artem obstetriciam et theoreticam et practicam ill. Hayn; chirurgiam specialem, neoplasmatum

et integumenti communis morborum doctrinam, akiurgiam et operationum in cadaveribus instituendarum artem, luxationes et fracturas ill. Wagner; pathologiam musculorum oculi et vitia accommodationis, ophthalmologiam usumque ophthalmosaopii ill. Jacobson; anatomiam pathologicam Dr. doctiss. Neumann; morbos aetatis infantilis Dr. doctiss. Bohn.

Praeterea hisce interfui scholis: Clinico medico duce ill. Hirsch per quattuor semestria; policlinico medico duce ill. Moeller per duo semestria; clinico chirurgico duce ill. Wagner per tria semestria; clinico et policlinico obstetricio duce ill. Hayn; clinico et policlinico ophthalmiatrico duce ill. Jacobson per duo semestria et auscultans et aegrotorum curam in me suscipiens.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque agam.

Jam vero, tentamine philosophico et examine rigoroso rite absolutis, spero fore ut, dissertatione publice defensa, summi in medicina et chirurgia et arte obstetricia honores mihi conferantur.